

Universitätsbibliothek Paderborn

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicationem Pagina
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Provisiones Senectutis, Per Tres
Partes Distributæ - In quibus raræ ac penenecessariæ Veritates, cum
omnibus Christi fidelibus, tum potissimum Gratiarum Cœlestium,
lucrorumque æternorum avidibus, quà theoreticè, quà practicè
proponuntur

Družbicki, Kaspar

Ingolstadii, 1732

VD18 90066391

Provisio 7. Per Imitationem & fruitionem Domini Nostri Jesu Christi
Crucifixi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45462

PROVISO VII.

Per Imitationem & fruitionem Domini Nostri JESU Christi Crucifixi.

Considera vocationem etiam tuam esse, fuisse semperque fore, ut Christum JESUM Dominum tuum imiteris. Non enim ille de cælis ac sinu Æterni Patris in terras descendit carnemque nostram induit, ideo solùm; ut nos sanguine suo redimeret, aut ut nobis legem vitæ & disciplinæ præscriberet, aut ut Rex noster etiam secundum hominem fieret, aut ut nobis Patrem reconciliaret, cælos aperiret, peccata condonaret; verum etiam ideo; ut nobis seipsum, vitamque suam & mores suos, actusque omnes, in exemplum, in speculum, in regulam, in amulsum exhiberet. Cui nos veluti regulæ exemplarique consummatisimo inhærentes, indubitate sancti, recti, justi, perfecti, vitæ æternæ idonei, coram judice Deo Patre inveniremur, inventique vitæ æternæ hæreditate donaremur, ex gratia quidem Dei Patris, exmeritis autem ipsius Christi, & ex bonis operibus nostris in Christo, & ad exemplar operum Christi factis.

Hinc est illud toties repetitum à Christo Domino. *Sequere me. Discite à me. Exemplum dedi vobis. Venite ad me omnes. Tollite jugum meum super vos. Non est servus major Domino Joan. 10. 11.* *Ibid. 4.* Ego sum via, veritas & vita. Ego sum pastor bonus: pastor ante oves vadit, & oves eum sequuntur: quia sciunt vocem ejus. Qui non sequitur me, non potest meus esse discipulus. Non est me dignus. Quibus omnibus suis dictis, Dominus, & necessitatem & obligationem declarat,

quæ

quæ nobis incumbit, ut eum in moribus virtutibusque ejus imitemur. Cùm verò hoc ad omnes homines, præsertim qui in Baptismo Christum induerunt pertineat, speciali tamen ratione, hoc opus eorum est, qui Christi Domini etiam consilia amplexi, simul etiam obligationem plenæ & perfectæ Christi imitationis in sece receperunt, atque induerunt. Tales autem Religiosi omnes sunt. De quorum numero cùm & tu miseratione Divinâ existas, nihil tibi suffragatur, quo Christi imitationis obligationem recusare possis.

Considera autem mores, opera & virtutes Christi Domini triplici modo, seu fine nobis proponi & à nobis cognosci posse (quod idem etiam de Sanctorum virtutibus dici potest.) Primus est; idcirco cognoscere virtutes, moresque Christi, ut virtutum natura, species, partes, gradus, dignitas, perfectio agnoscatur. Secundus est, ut ob virtutes & earum opera, excellentiam, exemplaque Christus laudetur. Tertius. Ut agnitus in Christi operibus exemplisque virtutes, à nobis imitatione sedulâ supparique, ex desiderio Christi similitudinis atque perfectionis & gratiæ effingantur in nobis, & in vita, moribus, operibusque nostris.

Primus modus & finis, non est ille quidem malus, magis tamen est Philosophicus, quam Christianus, si ulterius non procedat, quin potest esse aliquando meræ curiositatis. Secundus finis atque modus, est quidem ille bonus cum Christum, & ejus virtutes laudare, bonum proculdubio sit, parum tamen utilitatis ex eo percipit laudator, qui si non ultra se porrigat, Politicum magis quam Christianum redolebit. Tertius denique modus

Modus ac finis optimus, & ex mente Christi est, propriusque Christianorum Religiosorum, perfectorum, & tum salutem, tum perfectionem completam continens atque conferens suo exercitatori. *Sicut enim discipulus non est supra Magistrum: sic sufficit illi si sit sicut Magister ejus.* Iste ergo tertius modus, circa Christi Domini virtutes, ab omnibus veris Christianis, Religiosis, Perfectisque curandus, exercendus, & toto mentis conatu laboreque perficiendus est, ac in ejus perfectionem consummatam, totius vitæ nostræ cursus indesinenter impendendus est. Alioqui quidquid agitur à nobis aliud, si non per viam vitæ virtutumque Christi currituri, totum frustra est, & iudicatio est: sicut frustra cucurrit, quisquis quanquam contentissimè, sed non ad metam cucurrit. Christus autem noster, est via in exemplo, sicuti veritas est in verbo, & est vita in præmio.

Matt. 10. 24.

Considera insuper, quid in Christo imitandum sit? quænam scilicet opera & quæ virtutes? Neque enim omnia quæ in Christo Domino sunt ad imitationem nostram, hac præsertim in vita, assumenda sunt. Quædam enim sunt inimitabilia, ut sunt Divinæ potestatis miraculosa opera, quæ imitari præsumere, & superbi, & insani sit. neque hæc Dominus nobis proposuit in se imitanda. Et quanquam dedit servis suis aliquando potestatem ejiciendi dæmonia, & super omnem virtutem inimici, infirmosque curandi & similia patrandi; docuit tamen illos, quomodo se in talium patratione gererent, dicens. *Nolite gaudere in hoc, quod dæmonia subjiciuntur vobis, sed in hoc gaudete,* quia nomina vestra scripta sunt in cælo. Et cum

Luc. 10. 20.

V. P. Druzb. Op. VII.

C

aliquan-

aliquando dixisset illis; *Discite à me: non adje-*
Matt. 11. 29. cit., Mundum fabricare, morbos curare, dæmonia
ejicere, mirabilia facere sed addidit: quia mitis sum
& humilis corde. Atque hæc sunt alia opera Chri-
sti imitabilia & imitanda quam studiosissimè, ope-
ranimirūm humilitatis, modestiæ, mansuetudinis,
patientiæ, obedientiæ, castitatis, paupertatis,
mundi & sui contemptūs, atque abnegationis,
observationis mandatorum, condonationis inju-
riarum, Dei & proximi dilectionis.

Hæc sunt quæ in Christo securè imitamur,
 hæc sunt, per quæ, ad interiora JESU ingredimur,
 per quæ æmulamur charismata meliora, cùm sci-
 licet pauperem, nudum, contemptum, stultifica-
 tum, patientem, laborantem, egentem, passum,
 crucifixum, Patri per omnia subditum, propter
 obedientiam & reverentiam Patris eidem suppli-
 cem, atque formam servi indutum insuperque ex-
 inanitum, amore honoris Paterni & salutis nostræ
 mortuum. cùm inquam talem Christum ama-
 mus, ac in ipsis nobis effingimus, in eumque talem
 propter nos factum, vicissim propter illum trans-
 formamur, tunc transcendimus forinseca JESU,
 & ut dixi interiorum ejus participes reddimur,
 ipsumque Christum propriissimè induimus.

Hisce consideratis, tu te ipsum jam respice, &
 quantum sit chaos inter te & Christum, inter vir-
 tutes tuas & virtutes Christi, inter mores tuos &
 mores Christi, inter interiora tua & interiora
 Christi animadverte, attende quòd hæc de Imita-
 tione Christi lingua, si apud te ignotum sonet, acsi
 quidpiam de novi orbis idiomatibus audires; &
 tamen hæc sunt exordia atque prima elementa
 sermonum doctrinarumque Christi dicentis acce-
 denti-

dentibus ad se. *Sequere me Ec.* Ergo tu per tot
decades annorum Christi discipulus tantum in
schola imitationis ejus profecisti, quantum profe-
cisse te unius diei aut horæ discipulum, erube-
scere quām maximè opus esset. Nec dum tri-
ennio discipuli Christi apud ipsum perdurabant, &
tamen Dominus exprobrat illis. *Adhuc Ec vos*
sine intellectu estis? & alibi etiam gravius. O ge-
neratio incredula & perversa, quo usque ero vobis- *Mar. ii. 18.*
cum? usquequo patiar vos? tu tot annorum de-
cadibus ad Christi latus hærens, cælestibus ejus
doctrinis exemplisque operum saginatus, & ni-
hilominus adeò morum Christi rudis, adeò ab
ejus imitatione nudus quid quæsu tu reprehensio-
nis exprobrationisque audies? quid castigationis
suppliciique referes? Arbor triennio in horto sine
fructu tolerata excindi nec terram occupare fru-
stra jubetur; alia ficulnea fructibus cassa, licet non
esset tempus siccorum, tamen maledicitur à Domi-
no, & æterna sterilitate plectitur. Quid te putas *Matt. 17. 16.*
manet, non trium, sed triginta trium, & eo am-
plius annorum Religiosum, in fertilissimo, si quis
alius, Ecclesiæ Christi agro, in fructuosum?

Age igitur, te, resque tuas tandem circumspice, & seriam rationem ini atque institue quā ad ex-
actissimam Christi in moribus virtutibusque simi-
litudinem studiosissimā & resolutissimā impreca-
tione pertingere elaboras. Et licet quantum-
cunque te dejeceris humilior Christo non eris;
quantumcunque te nudaveris pauper major Chri-
sto, non eris, quantumcunq; toleraveris, patientior
Christo non eris, nihilominus quām maximam
similitudinem vicinitatemque desidera, procura,
elabora. Nulla sit dies, nulla hora, nullum quoad

fas momentum, nulla actio tua, quā non ducas
lineam similitudinis ad Christum. Scito nullam
esse Christo gratiorem & gloriostorem tuam circa
Christum occupationem, & cum Christo tracta-
tionem, & Christi laudationem; quām ejus ab-
ste imitationem, quām tuam cum ipso perpetuam
assimilationem, quām tuam cum ipso quām ma-
ximē genuinam similitudinem. Hoc enim unum
& solum, instar omnium est obsequiorum & en-
comiorum, quae Christo impendi debent & pos-
sunt à te. Hoc est Christum amare, Christum in-
duere, Christum efformare, Christo uti, Christo
uniri, Christo configi, Christo consepeliri, Chri-
stum manducare, Christum bibere, denique cum
Christo esse, cum Christo vivere, cum Christo re-
gnare, Christum esse.

PROVISION VIII.

*Per Imitationem & fruitionem Domini nostri
quām familiarissimam.*

Considera incumbere etiam tibi imitationem
Domini Dei tui, imitationem autem non
qualem qualem, sed imitationem in perfectione,
in sanctitate, in rectitudine, in justitia, in veritate,
in pietate, in misericordia, in charitate, in Dei glo-
rificatione. Imitantur quidem omnes creaturae
Deum tanquam conditorem suum, tanquam ope-
ra artificem à quo sunt, & habent, & possunt, &
operantur ac ideo ad modum sui fontis, suique
Idealis Esse, artisque ipsas efficientis, & in esse ope-
rationeque conservantis, necessariò semper operan-
tur: neque unquam ab hoc genere imitationis
creatūræ possunt exerrare, cum natura & essen-